

Quidquid argui possit ex l. 1, § *quod servus* 22; l. *Si colonus* 20, ff. de vi, et vi armata, ubi dicitur quod tale interdictum vero competat domino, non ei per quem possidemus; receptor ac communior opinio est quod creditori dejecto, non vero debitori, hoc interdictum accommodetur; et quanquam qui pignus dedit, et is possidere dicatur, hoc sic accipias ut possideat quoad usucapionem tantum; in cæteris omnibus possidet, qui pignori accepit: l. *Servi nomine* 16, ff. de usurpat. et usucap.; Gratian. discept. forens., cap. 174, num. 18 et seqq.; Menoch. de recuperanda possessione, remed. 9, num. 201.

(11. Ut tale competat interdictum sufficit etiam naturalis possessio; hinc, si maritus uxori fundum donaverit, eaque fuerit dejecta, recte hoc utitur interdicto, etiamsi donatio sit nulla, quia naturaliter possidet: l. 1, § *Deficitur is*, 9 et 10, ff. de vi, et vi armata, junct., l. 1, § *si vir uxori* 4, ff. de acq. vel amitt. posses. Juste enim an iniuste quis possideat hic non refert; adeo ut si Titius prior verum dominum fundi vi deiciat, et ipse non in continenti; quod licet ex l. 17, ff. *Unde vi*, sed ex intervallo Titium dejecerit, Titius ipse ante omnia restituendus est: § *recuperanda* 6. Inst. de interdict.; l. 1, § *qui a me* 30; l. *quod est* 3, § *eum igitur* 9; l. *colonus* 12; l. *qui possessionem* 17; l. *Cum fundum* 18, ff. de vi et

INTERDICTUM.

ARTICULUS VIII.

Interdictum quoad ejus esse et divisionem.

SUMMARIUM.

1. Interdictum quid sit. — 2. Interdictum dividitur in locale, personale et mistum. — 3. Interdictum locale quid sit. — 4. Interdictum personale quid sit. — 5. Interdictum mistum quid sit. — 6. Interdictum tam personale quam locale subdividitur in particulare et generale. — 7. Interdictum personale particulare quid sit. — 8. Interdictum personale generale quid sit. — 9. Interdictum locale particulare quid sit. — 10. Interdictum locale particulare quid sit. — 11. Interdictio populo unius provinciae vel civitatis sunt interdicti omnes illius provinciae et civitatis habitatores, etiamsi sint innocentes. — 12. Omnes isti nec in suo nec in alio loco audire possunt divina, vel ecclesiastica recipere sacramenta. — 13. Clerus autem non censetur interdictus, interdictio populo, nec, contra, interdictio

(1. Interdictum est censura ecclesiastica per quam homo arcetur a participatione aliquorum sacramentorum, omnium divinarum officiorum, et ecclesiastica sepultura. Colligitur ex cap. *Non est nobis* 11, de Sponsal. et Matrimon., et cap. *Quod in te*, de Pœnit. et remiss.

(2. Interdictum dividitur in locale, personale et mistum, ut colligitur ex jure canonico in cap. *Præsenti* 10, et cap. *Si civitas* 17, de sent. excomm. in 6. (3. Interdictum locale est quo immediate locus ipse interdictur ne ibi divina celebrentur vel audiantur sive ab indigenis, sive ab alienigenis. (4. Interdictum personale est quo immediate in-

vi armata; Bronckhorst. lib. II, Miscellan., assert. 50. Quod si dominus spoliatorem dejecerit, jure novo obtinet spoliatori restitutionem concedendam non esse; sed admittendam dominii exceptionem, dummodo in continenti probari possit deicientem dominum esse, ac spoliatum nullum prorsus jus habere. Consule c. ult. de rest. spoliat. in 6; Ugo Grotius in Responsis Jurisp. Holl., part. v, cons. 157, vers. imo notant., pag. 461; Menoch. de recuperanda poss., remed. 1, num. 112; Peckhiius de jure sistendi cap. 17, num. 2; Wassenar. Pract. judic. c. 14, num. 6, 7, etc.

(12. Plura de hoc interdicto reperies apud Voet., Zoes., Vinn., etc., quæ hic omittuntur, quia eo tantum vertitur praxis interdictorum, ut natura ac indoles possessorii iudicii apprime dignoscatur, de quo supra, etc.

(13. Est et altera interdictorum divisio; interdicta enim alia sunt *simplicia*, in quibus apparet, quis actor, quis reus sit, alia sunt *duplicita*, in quibus uterque simul actor et reus est: § pen. inst. h. t.; l. interdict. 2, pr. ff. de interdict. Sunt etiam interdicta *annalia et perpetua*: alia *publica et privata*, alia demum quæ *ad rem familiarem*, quædam *ad publicam utilitatem*, aut *religionem*, aut *jus divinum*, pertinent. Quæ per se satis plana videri etiam possunt apud auctores postremo relatos.

clero, censetur interdictus populus, nisi in sententia aliud exprimitur. — 14. Sub generali interdicto cleri non comprehenduntur religiosi utriusque sexus, nisi exprimitur, vel ex subjecta materia aliisque circumstantiis aliter appareat. — 15. Afferitur ratio, ad num. 16. — 17. Item sub generali interdicto cleri non comprehenduntur episcopi, nisi de eis expressa fiat mentio. — 18. Interdicta civitate, eo ipso intelliguntur interdicta etiam suburbia. — 19. Afferitur et solvitur instantia. — 20. Interdicta civitate vel diœcesi, censetur interdicta etiam ecclesia cathedralis. — 21. Interdicta civitate vel diœcesi, intelliguntur interdicta etiam ecclesie regularium. — 22. Interdicta alia sunt a jure, et alia ab homine. — 23. Interdicta ab homine ferri possunt ab omnibus illis qui possunt excommunicare et suspendere. — 24. Excipiuntur tamen superiores regulares, qui non possunt apponere interdicta localia. — 25. 51. Interdicta quæ a jure communi et a constitutionibus apostolicis tam localia quam personalia lata sunt, ad uberiorem notitiam distincte in distinctis articulis hic subnectuntur.

terdicuntur ipsæ personæ, et non locus; et tunc illæ personæ nec hic nec alibi possunt percipere sacramenta, nec exercere functiones sacras per interdictum prohibitas. (5. Interdictum mistum est quo immediate et locus et personæ interdicuntur verb. gr., civitas et ejus incolæ: colligitur ex cap. *Si sententia* 16, de sent. excomm. in 6.

(6. Interdictum tam personale quam locale subdividitur in particulare et generale. (7. Personale particulare est quo persona aliqua particularis interdicuntur. (8. Personale generale est quo interdicuntur aliqua communitas personarum, ut populus unius provinciae, civitatis, vel integra aliqua uni-

versitas, collegium, capitulum, conventus. (9. Locale particulare est quo interdicuntur locus unus particularis, ut particularis aliqua ecclesia. (10. Locale generale est quo interdicuntur locus generaliter, id est locus varia sub se loca complectens, ut regnum, provincia, civitas, ut colligitur ex cap. *Cum in partibus* 17, de verb. significat.

(11. Circa interdictum personale generale sciendum est quod, interdicto populo unius provinciae vel civitatis, sunt interdicti omnes illius provinciae et civitatis habitatores, etiamsi sint innocentes. (12. Et omnes isti, nec in suo nec in alio loco audire possunt divina, vel ecclesiastica recipere sacramenta, quia hujusmodi interdictum sequitur personam quocumque iverit: c. *Si sententia* 16, de sentent. excomm. in 6. (13. Clerus autem non censetur interdictus interdicto populo, nec, contra, interdicto clero, censetur interdictus populus, nisi in sententia aliud exprimitur; unde uno ipsorum interdicto, alius licite admittitur ad ecclesiastica officia et sacramenta: cap. *Si sententia* 16, de sentent. Excomm. in 6. In materia enim poenali uti est ista, verba sunt stricte interpretanda: c. *Odia* 15, de Regul. Jur. in 6.

(14. Sub generali interdicto cleri non comprehenduntur religiosi utriusque sexus, nisi exprimitur, vel ex subjecta materia aliisque circumstantiis aliter appareat. (15. Et ratio est quia in materia odiosa secundum communem acceptionem, religiosi non veniunt nomine cleri, nisi exprimitur; et si quandoque lata significatione veniant nomine cleri, semper fit cum addito *regularis*. Tum quia interdicto lato contra religiosos non comprehenduntur clerici sæculares; ergo in interdicto lato contra clericos non debent comprehendendi religiosi. (16. Ulterius in jure canonico passim ista ponuntur tanquam diversa, ut c. *Si quis suadente* 17, q. 4, ubi dicitur *in clericum vel monachum*; et cap. *Super specula* 10, *Ne clerici vel monachi*. Sic tenent Abbas cap. *Non amplius* 1, de Institutionibus n. 3; Fagnan. ibi., n. 7; Anaclet. § 7, de interd. n. 187; Layman, Rossignolus, Silvester, Ugolinius, Coninehius, Bonacina, Engel et alii multi. (17. Item sub generali interdicto cleri non comprehenduntur episcopi, nisi de eis expressa fiat mentio: cap. *Quia periculosum* 4, de Sentent. excomm. in 6.

(18. Circa interdictum locale sciendum est quod interdicta civitate eo ipso intelliguntur interdicta etiam ejus suburbia, sive hæc sint pars civitatis, sive non, sive sint contigua eidem civitati, divisa solummodo per mœnia interjaentia, sive vicina, dummodo non valde distent; sive suburbia sint ejusdem diœcesis, sive diversæ. Et ratio est quia, si possent in civitatis suburbis divina celebrari, interdicti sententia vilipenderetur, cum cives ad illa de facili possent convolare: ne igitur sententia interdicti possit sic de facili vilipendi, expedit interpretationem fieri laxiorem, ipsum extendendo etiam ad suburbia, ut habetur expresse ex c. *Si civitas* 17, de Sentent. Excomm. in 6. (19. Nec valet dicere quod, quando suburbia sunt

diversæ diœcesis, non possint subesse legibus episcopi diœcesani. Non valet, inquam, quia illud interdictum afficit illa suburbia non quatenus provenit ab episcopo diœcesano, sed quatenus provenit a jure communi per interpretationem quam facit ex rationabili causa; cum respectu etiam suburbiorum diversæ diœcesis militet eadem ratio vilipendii, ex suppositione quod non plus distent a civitate quam suburbia ejusdem diœcesis; æque enim faciliter possent cives ad ecclesias in utriusque suburbis existentes confugere, et ibi interesse divinis et percipere sacramenta, et sic eludere seu vilipendere interdictum, ad quod vitandum fit laxior interpretatio ipsum extendendo etiam ad suburbia: in d. cap. *Si civitas* 17, de Sent. excomm. in 6. Sic tenent Suarez, disp. 32, sect. 2, n. 23; Avila part. v, disp. 1, dub. 3; Coninch., Bonacina, Rossignol., et alii.

(20. Interdicta civitate vel diœcesi, censetur interdicta etiam ecclesia cathedralis: cap. *Si civitas* 17, de Sentent. Excomm. in 6, ubi expresse habetur quod, interdicta civitate, omnia loca ibidem interdicta censentur, cum alias de facili posset vilipendi interdictum talis civitatis, celebrando et audiendo divina in cathedrali. (21. Et propter eandem rationem, interdicta civitate vel diœcesi intelliguntur interdicta etiam ecclesie regularium; ipsi enim tam exempti, quam non exempti, nisi speciali privilegio super eo muniti existant, tenentur servare interdictum locale, nedum a Sede Apostolica emanatum, sed etiam ab episcopo promulgatum: c. *Auctoritate* 4, de privileg. in 6, et cap. *Cum in partibus* 17, de verb. signification., et Concil. Trident. sess. 25, cap. 12, de Regul., ubi expresse habet: *Censuræ et interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo, a regularibus in Ecclesiis publicentur et serventur.*

(22. Interdicta alia sunt a jure, et alia ab homine. *Communis*. (23. Interdicta ab homine ferri possunt ab omnibus illis qui possunt excommunicare et suspendere: cap. *Cum ecclesiarum* 3, de Offic. iudicis ordinar. (24. Excipiuntur tamen superiores regulares, qui non possunt apponere interdictum in ecclesiis sibi subjectis, quia eorum iudicium est personalis, non autem localis, et etiam quia actus iste percutit exercitium jurisdictionis in clerum et populum, illos privando ne in ea celebrare et respective audire possint divina, et sic cum non subditis, ut recte de more suo ratiocinatur card. de Luca de jurisdiction. disc. 99, n. 2; et expresse partibus auditis et informantibus, declaravit sacra congreg. Episc. et Regular. in Neapolitana Censurarum 21 Junii 1697, referente card. Cavaller., contra abbatem S. Petri ad Aram, qui ecclesiam monialium Reginae Cœli sibi subjectam interdicto subjecerat.

(25. Interdicta quæ a jure communi et a constitutionibus apostolicis, tam localia quam personalia lata sunt, ad uberiorem notitiam distincte in distinctis articulis hic subnectuntur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(26. Non omne interdictum infligitur per modum censuræ, aut est species censuræ.

(27. Solet enim nonnunquam interdictum, uti et suspensio, infligi per modum meræ pænæ instar aliarum pœnarum canonicarum in punitionem commissi dilecti: Van-Esp. de Censur., cap. 9, § 1; Rousseaud de la Combe, in Jurisprud. canon., verb. *Interdictum*, num. 8. (28. Interest autem distinguere interdictum in ratione censuræ ab interdicto per modum pænæ, ob insignes quæ unum inter et alterum intercedunt differentias.

(29. Primo enim interdictum in ratione censuræ requirit contumaciam, item canonicas monitiones, ut de contumacia constare possit. (30. Secus vero interdictum per modum pænæ: Fleury Instit. Jur. Eccl. part. III, cap. 21; Van-Esp. ubi supra; Suarez de Censur., disput. 25, sect. 1.

(31. Secundo interdictum in ratione censuræ ad certum tempus infligi nequit, idque quia, cum infligatur ad reprimendam contumaciam, habere debet tempus incertum prout et habet ipsa contumacia, scilicet tandiu durare debet quandiu durat contumacia. (32. At non repugnat ut interdictum per modum pænæ infligatur ad certum tempus, prout gravitas ipsius delicti postulaverit, eoque lapsa cesset: Van-Esp. loc. cit.

(33. Tertio violatio interdicti in ratione censuræ, exercendo solemniter actum ordinis, secum fert irregularitatem; (34. nequaquam vero hæc ipsa violatio interdicti per modum pænæ: Van-Esp. loc. allegat., § 4; Hurtad. de Censur., tractat. de Cessatione a divinis offic. 4.

(35. De origine interdicti in ratione censuræ haud certo constat: Rousseaud de la Combe in Jurisprud. canon. verb. *Interdictum*, num. 5. (36. Per plura vero sæcula incognitum ipsum fuisse inde liquet, quod Ivo Carnotensis, epist. 94, appellat interdictum *Remedium insolitum*, ob suam nimis novitatem.

(37. Dividit auctor interdictum in personale, locale et mistum; sed, ut probe monet Clement. Concord. pastoral., part. II, cap. 5, n. 3. (38. Convenientius dividitur interdictum in personale et locale tantum, et utrumque in generale et particulare.

(39. Quæstionis est an posito interdicto locali, censeatur positum personale, et versa vice. In eam communiter itum est sententiam, posito interdicto locali, sive generali, sive particulari, non censi positum personale, nisi tantum respectu personarum quarum culpa positum est interdictum locale: cap. 17, de Sent. excom. in 6.

(40. Pariter in eo omnes conveniunt quod, posito interdicto personali particulari, non censeatur positum locale. (41. At non conveniunt DD. an posito interdicto generali personali, censeatur etiam positum locale, id est, an, interdicto personaliter populo, interdicto subjiciatur locus populi, id est villa. (42. Afirmant enim Covar. in cap.

Alma mater, part. II, § 1, n. 7; Henric. cap. 42, in fin. At post Navarr. et Ægid. negat Hurtad. de Censur., Tract. de Interd., difficult. 3, num. 7, et jure quidem meritoque. (43. Interdictum enim personale, tametsi generale, est omnino distinctum a locali; non est igitur cur, posito interdicto personali, ponatur locale: « Ac proinde (ita recte ait Hurtad. loc. mox citat.) in loco populi interdicti possunt clerici divina officia solemniter et apertis januis celebrare, etiamsi aliquando per accidens non liceat, quando scilicet nequeant non admitti interdicti ad templum aut ad partes templo vicinas. »

(44. De personis quæ comprehenduntur interdicto personali, vide mox laudatum auctorem difficult. 3, per tot. Notabile vero est discrimen innocentes inter et nocentes populos generaliter interdictos. (45. Innocentes enim, ut primum mutatione domicilii, aut aliter, desinunt esse membra ejus populi, desinunt esse interdicti, sine ulla alia relaxatione. (46. At nocentes, tametsi membra illius populi esse desinant, interdicto obnoxii remanent; idque quia interdicti ii etiam intelliguntur uti particulares personæ.

(47. De locis comprehensis interdicto locali consule tum eundem auctorem difficult. 5, per totum, tum Clement. Concord. pastoral., part. II, cap. 5, fere per tot.

AD SUPERIOREM ADDITIONEM

Novissimum additamentum.

(48. De origine interdicti aliquid enucleatius dicendum. Sarpus cæterique theologi sibi adjuncti interdictorum epocham Alexandri III pontificatu definiunt. Bellarminus satis rejectum hocce commentum existimavit, objecto interdicto quod S. Gregorius VII, sex et 80 annis ante Alexandrum III, anno scilicet 1073, pontificatum adeptus, in Polonia regnum excusserat. Id vero intelligens M. Antonius de Dominis de Rep. Christ. lib. V, cap. 9, n. 38, audacter ad novam interdictorum æram constituendam prosiluit, ac nonnisi a Gregorio VII repetenda esse hujus censuræ initia docuit. Horum vestigiis inhæsit Dupinius, qui in sua Disciplina asserere non dubitavit, « per sex, aut septem, et amplius Ecclesiæ sæcula non legi aliquam societatem ob peccatum alicujus excommunicatam aut interdicto subjectam. »

(49. Verum quantum hi omnes a vero aberraverint ostendit anonymus auctor eruditissimæ dissertationis quæ anno 1715, occasione Siculi interdicti, Romæ prodit in 4, de Ecclesiastici interdicti sententia p. I, cap. 1. Ab undecimo enim sæculo ad ipsa apostolica tempora retrograda inquisitione ascendens, ostendit vir oppido doctus, vix ullum existisse sæculum quo interdictum aliquod non occurrat. Unum ex quarto sæculo, illudque sane luculentissimum, exemplum promam.

(50. Magnus Basilius ab episcopo quodam

consultus quid agendum foret cum puellæ cujusdam raptus incidisset, respondit ep. 224, 1, rapta puella parentibus restituta, raptorem excommunicatione feriendum; 2. criminis socios cum eorum quoque familiis, per triennium a precibus excludendos; 3. sacris interdicendum loco (*villam* Montacutius, qui epistolam latinitate donavit græcum *καμὴν* vertit pagum, qui villa aliquid amplius est, malim ego cum laudato anonymo interpretari) ad quem forte raptor confugerit, nisi incolæ eum ejecerint aut puella reddita fuerit. Nugari voluit Van-Espenius, qui tit. de Pœn. et censur., cap. 9, n. 16, Basilius pronuntiavit non loqui « de villa, prout locum aut domum quamdam significat; sed de familia quæ raptorem cum rapta susceperit. » Fingine potuit magis ridicula interpretatio?

(51. Fatendum tamen est vetustioribus Ecclesiæ sæculis minus frequentem interdicti usum fuisse. Triplicem hujus rei causam idem anonymus profert illustratque, p. I, cap. 2, § 1; nempe 1. temporum illorum sanctitatem, quæ universum populum peccare, aut privatorum criminum procurandam emendationem negligere prohibebat; ex quo duplici capite interdictum in universitatem infligitur; 2. maximum quemdam excommunicationis timorem, ut proinde Ecclesiæ satis consultum esset ad compe-scenda crimina, si sotes singuli excommunicationis telo ferirentur, quin totam necesse foret universitatem interdicto plectere; 3. amplissimum patrocinium, quo principes Ecclesiæ bona, jura, libertatem tuebantur ac vindicabant; neque enim opus erat Ecclesiæ spiritualem gladium exercere, cum præsto sibi esset ultrix principum potestas.

ARTICULUS II.

Interdicta localia generalia.

(1. Contra reges et principes impediens legatos vel nuntios pontificios ne fungantur suo officio, in quo casu omnes ditiones ipsius impediens sunt interdictæ: Extravag. *Super gentes*, de Consuetud.

(2. Contra civitatem, excepta Roma, quæ hostiliter insequitur cardinales, vel insecutoribus consilium, auxilium, aut favorem præstat: cap. *Felicis* 5, de Pœnis in 6.

(3. Contra civitatem quæ delinquit percutiendo injuriose proprium episcopum, vel ipsum capiendo, banniendo, seu mandando hæc fieri; et contra territorium ejus dominus delinquit percutiendo, injuriose capiendo, banniendo, seu mandando hæc fieri in quemcumque pontificem: Clement. 1, de Pœnis.

(4. Contra civitatem in qua mortuus est Papa, et ibi novus est eligendus, et rectores ejusdem non observantes nec observare facientes præscripta in cap. *Ubi periculum* 3, de Election. in 6; ibi enim habetur expressè: « Civitas autem prædicta non solum sit interdicto supposita, sed et pontificali dignitate privata. »

(5. Contra civitatem admittentem alie-

nigenas ad fœnerandum: cap. 1, de Usuris in 6.

ARTICULUS III.

Interdicta localia particularia.

(1. Contra universitates et collegia exigentes juramenta illicita, vel contra libertatem ecclesiasticam: Gregor. XIII Constit. 39, incip. *Inter apostolicas*.

(2. Contra ecclesiam in qua scienter sepultum fuerit cadaver hæretici: cap. *Quicumque* 2, de Hæreticis in 6.

(3. Contra ecclesias regularium et clericorum sæcularium inducentium aliquem ad jurandum vel promittendum eligere sepulturam in illis, vel ad non mutandam electionem jam factam, si postea de facto in eis jurantes vel promittentes sepeliantur: cap. 1, de Sepultur. in 6.

ARTICULUS IV.

Interdicta personalia generalia.

(1. Contra universitates exigentes tributa ab ecclesiasticis: cap. *Quamquam* 4, de Censib. in 6.

(2. Contra universitates concedentes vel extendentes repræsalia contra ecclesiasticos: cap. *Unic. de Jurejur.* in 6.

(3. Contra universitates, capitula, et collegia a Papa ad futurum concilium appellantiæ: cap. 2 bullæ *Cænæ*.

(4. Contra universitates, capitula, et collegia non servantia constitutionem Joann. XXII, circa fructus beneficiorum vacantium: Extravag. *Suscepti regiminis, ne sede vacante*.

(5. Contra capitula cathedralium dimissorias infra annum a die vacationis sedis concedentia: Concil. Trident., sess. 7, c. 10.

(6. Contra universitates habitationem usurariis locantes, aut usuras publice exercere permittentes: cap. 1, de usuris.

ARTICULUS V.

Interdicta personalia particularia.

(1. Contra cardinales aliosque Ecclesiæ prælatos recipientes beneficia et pensiones cum simonia confidentiali: Pius IV, constit. incip. *Romanum Pontificem*.

(2. Contra metropolitanos de non residentia suffraganeorum, et contra antiquiores episcopos de non residentia metropolitanorum post annum a die absentiae eorundem non certiorantes Pontificem intra tres menses: Conc. Trident. sess. 6, cap. 1, de reformat.

(3. Contra promotos ad Ecclesias cathedrales, etiamsi sint cardinales, in Romana curia existentes intra unum mensem a die eorum promotionis et consecrationis, itineri non se committentes ad faciendam residentiam: Urban. VIII, constit. 139, incip. *S. synodus*, et conc. Trid. sess. 23, cap. 2, de reform.

(4. Contra episcopos usurpantes bona vel fructus ecclesiarum aut beneficiorum vacantium: c. *Præsenti* 9, de Offic. ordinar. in 6.

(5. Contra episcopos vel abbates alienantes bona Ecclesiæ, non servata forma Extravagant. *Ambitiosa*, de rebus ecclesiast. non alienand.

(6. Contra episcopos aliosque superiores prelatos qui in visitatione procuratorem excessivum recipiunt, contra constitutionem Innocentii IV relalam in cap. *Romana* 1, de censibus in 6; cap. *Exigit* 2, de censibus in 6, et Trid., sess. 24, c. 3, de reform.

(7. Contra prelatos edentes commentarios in concil. Trident. inconsulto Romano Pontifice: Pius IV, constitution. confirmatoria ejusd. concilii.

(8. Contra eos qui episcopatum, abbatiam, vel aliam ecclesiasticam dignitatem de manu laici recipiunt: cap. *Si quis deinceps* 16, qu. 7.

(9. Contra clericos in sacris constitutos in crimine fornicationis perseverantes: cap. *Si qui sunt*, dist. 81.

(10. Contra ordinarios qui privant beneficiis commorantes in urbe, et eos qui illa recipiunt: Extravag. 3, de privileg.

(11. Contra non servantes formam a jure præscriptam in ferendis censuris: cap. *Sacro* 48, de sentent. excomm.

(12. Contra violantes interdictum locale, et contra eos qui excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia, ad sacramenta, et ad ecclesiasticam sepulturam admittunt: cap. *Episcop.*, de privileg. in 6.

(13. Contra eos qui dant causam interdicto locali: cap. *Si sententia* 6, de sentent. excomm. in 6.

(14. Contra omnes ecclesiarum sæcularium rectores et ministros recipientes onera perpetua missarum sine licentia ordinarii loci, ac etiam contra recipientes pecunias talium legatorum, et eas non deponentes penes personam idoneam: Urban. VIII, constit. 43, incip. *Cum sæpe contingat*.

ARTICULUS VI.

Interdictum quoad ejus effectus.

SUMMARIUM.

1. Effectus interdicti sunt tres, qui assignantur.— 2. Non omnium sacramentorum, sed aliquorum tantummodo prohibitus est usus, sive activus, sive passivus.— 3. Tempore enim interdicti propter moræ periculum licite administratur non solum parvulis, sed etiam adultis baptismus et confirmatio.— 4. Item sacramentum penitentiae omnibus administrari potest, etiam sanis, exceptis iis qui sunt excommunicati, et causam dederunt interdicto, nisi de delicto satisfecerint, etc.— 5. Item sacramentum matrimonii potest tempore interdicti licite celebrari.— 6. Solemniter tamen et publica benedictio tunc sponsis dari nequit.— 7. Item constitutis in articulo seu probabili periculo mortis licite ministrari potest, etiam sacramentum Eucharistiae.— 8. Item infirmis aliud sacramentum non valentibus recipere, licet ministrari etiam ex rema unctio.— 9. Et casu magnæ necessitatis, et penuriae sacerdotum, etiam sacramentum ordinis clericis specialiter non interdictis conferri potest.— 10. Nomine divini officii tempore interdicti prohibitorum, quæ intelligantur.— 11. Excipitur privata recitatio horarum, ad quam alias obligati tenentur, licet sint interdicti, et concio ad quam etiam per campanæ pulsus possunt convocari interdicti ut ad correctionem, et resipiscantiam inducantur.— 12. Tem-

porè interdicti generalis, clerici et religiosi, quando ipsi non sunt interdicti, possunt, ut extra tempus interdicti, missas et divina officia celebrare, sed januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, et exclusis personaliter interdictis, et iis qui interdicto causam dederunt ad num. 18.— 18. Regulares tempore interdicti possunt celebrare et communicare januis clausis.— 19. In loco sacro interdicto nullus quantumvis innocens, nec infans, nec amens potest sepeliri.— 20. Excipiuntur tamen clerici personaliter non interdicti, nec interdicto causam dantes.— 21. Tempore interdicti localis generalis possunt incoere illius loci qui non sunt personaliter interdicti offerri extra illum locum interdictum, et in alio loco sacro non interdicto sepeliri.— 22. Si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore interdicti, cessante interdicto in locum sacrum est transferendus, si id commode fieri possit.— 23. 28. Si vero contingeret contra prohibitionem juris aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, is non esset extrahendus.— 29. 45. Additiones ex aliena manu.

(1. Effectus interdicti sunt tres, primus est privatio aliquorum sacramentorum, secundus est privatio divinarum officiorum, tertius est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ut expresse habetur in cap. *Alma mater* 24, de sent. excomm. in 6.

(2. Circa primum effectum notandum est quod non omnium sacramentorum, sed aliquorum tantummodo prohibitus est usus, sive activus, sive passivus. (3. Tempore enim interdicti propter moræ periculum licite administratur non solum parvulis, sed etiam adultis baptismus et confirmatio, et ad hunc finem potest fieri catechismus, fontis benedictio, et in Cœna Domini christi consecratio: cap. *Responso* 43, de sent. excomm. et cap. *Quoniam* 19, de sent. Excomm. in 6. (4. Item sacramentum penitentiae omnibus administrari potest, etiam sanis, exceptis iis qui sunt excommunicati et causam dederunt interdicto, nisi de delicto satisfecerint aut de satisfaciendo cautionem idoneam, vel juratoriam præstiterint: capit. *Alma mater* 24, de sent. excommunic. in 6. (5. Item sacramentum matrimonii potest tempore interdicti licite celebrari: glossa in cit. cap. *Alma mater* 24, de sent. Excomm. in 6, verb. *Sacramentis*; Abbas in cap. *Non est*, 11, de sponsalibus, n. 8, et alii passim. (6. Solemnis tamen et publica benedictio tunc sponsis dari nequit, ut colligitur ex cit. cap. *Alma mater*. (7. Item constitutis in articulo seu probabili periculo mortis, licite ministrari potest etiam sacramentum Eucharistiae: cap. *Permittimus* 57, de sent. excomm., et cap. *Quod in te* 11, de penit. et remiss. (8. Item infirmis aliud sacramentum non valentibus recipere, licet ministrari etiam extrema unctio, ut cum aliis colligunt Pirhing. et Palao ex cit. cap. *Quod in te* 11, de Penit. et remiss. (9. Et casu magnæ necessitatis, et penuriae sacerdotum, etiam sacramentum ordinis clericis specialiter non interdictis conferri potest, ut cum multis colligunt Pirhing, Innocentius et Abbas ex cap. *Non est* 11, de sponsalibus, n. 8.

(10. Circa secundum effectum notandum est quod nomine divinarum officiorum tem-

porè interdicti prohibitorum in cap. *Si Sententia* 16, de sent. excomm. in 6, et cap. *Permittimus* 57, cit. tit., intelliguntur celebratio publica Missæ, publica recitatio horarum canonicarum in choro, processiones publicæ, benedictiones publicæ templi, fontis baptismalis, cinerum, palmarum, candelarum, nuptiarum, solemnis aspersio aquæ lustralis, professio solemnitas in religione, et alia similia; (11. excepta privata recitatione horarum, ad quam alias obligati tenentur, licet sint interdicti, et concionæ, ad quam etiam per campanæ pulsus possunt convocari interdicti, ut ad correctionem et resipiscantiam inducantur, ex cap. *Responso* 43, de sentent. Excomm. (12. Tempore interdicti generalis, clerici, et religiosi, quando ipsi non sunt interdicti, possunt, ut extra tempus interdicti, missas et divina officia celebrare, sed januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, et exclusis personaliter interdictis, et iis qui interdicto causam dederunt: cap. *Alma mater* 24, de sent. excomm. in 6. (13. Et in hoc eodem capite *Alma mater*, permittitur ut festis Natalis, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. Virginis, quibus a Martino V et Eugenio IV additus fuit dies festus Corporis Christi cum tota octava, et a Leone X dies festus Conceptionis B. M. V., etiam cum tota octava, tempore interdicti generalis, missæ et divina officia publica cum omni solemnitate celebrentur januis apertis cum campanarum sonitu, admissis quoque interdictis qui causam interdicto dederunt, modo isti non appropinquent altari nec veniant ad offertorium, vel communionem, exclusis tamen excommunicatis. (14. Et hoc privilegium est solum de interdicto locali generali, non vero de locali particulari, nec de personali, etiam generali, quia in his nihil est immutatum jure novo, in cap. *Alma mater*, sed remanet rigor juris antiqui: cap. *Permittimus*. Unde in ecclesiis specialiter interdictis in quibus Eucharistia asservatur, solum licet semel in hebdomada celebrare missam pro renovanda Eucharistia pro infirmis, ut expresse colligitur ex d. cap. *Permittimus* 57, de sent. excomm.

(15. Regulares quibus post Trid. et Gregor. XIII, cum sufficientibus derogatoriis specificis et expresse est indultum ut quædam proprii ordinis festa solemniter ritu tempore interdicti generalis quacunque auctoritate positi celebrent, possunt in omnibus illis festivitibus voce alta, apertis januis, pulsatis campanis, divina facere ac omnibus fidelibus sacramenta ministrare, exceptis nominatim interdictis et interdicto causam præbentibus, et omnia alia libere et solemniter ritu peragere ac si interdictum minime appositum esset, ut expresse post conc. Trid. et Gregor. XIII concessit ordini Minorum S. P. Francisci Clementis VIII, die 17 Octobr. 1595, (16. constitut. incip. *Sacra*, per quam omnem dubietatem e medio tollit præcisus his verbis: « Ut sacra Seraphici B. Francisci religionis in sanctam

Romanam Ecclesiam merita poseunt, ut privilegia et indulta illi per Sedem Apostolicam concessa, non modo conserventur, sed etiam amplientur. Cum itaque, sicut accepimus, diversorum Romanorum Pontificum concessionibus religioni præfatæ indultum sit ut temporibus interdicti, quacunque etiam apostolica auctoritate appositi, Festa sanctorum ejusdem ordinis, Francisci nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum, solemniter ritu celebrare, perinde ac si interdictum hujusmodi minime appositum esset, libere possint; festa vero sanctorum Didaci et Portiunculæ in prædicto indulto minime comprehendantur; nos religionem prædictam amplioribus favoribus et gratis prosequi volentes, ac indultorum hujusmodi et litterarum Apostolicarum desuper expeditarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictæ religionis per dilectum filium nostrum Hieronymum presbyterum cardinal. Matthæum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, religioni prædictæ universæ, ac cuicumque ipsius ordinis sive familiæ conventui, ut in eorum ecclesiis festa etiam prædicti S. Didaci et Portiunculæ, temporibus interdicti solemniter, prout alia festa prædicta, ac juxta indultorum illi concessorum seriem et tenorem, celebrare libere et licite possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus, ac indulta prædicta ad prædictas S. Didaci et Portiunculæ festivitates extendimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus, vel specialibus. Dat. Tusculi, sub annulo Piscatoris, 17 Octobr. 1595, pontificatus nostri anno 4. » Sic tenent, plurimi cum Pignatelli. tom. X, cons. 1; Matthæucci, Offic. curiæ, capit. 27, num. 12 et 13, et alii passim.

(17. An autem hoc privilegium suffragetur aliis regularibus propter communicationem privilegiorum, videtur respondendum esse affirmative. Nam Suarez lib. viii, de Legibus, c. 17, n. 7; Roder. qq. Regul., quæst. 55, art. 20, tom. I; Portell. in Respons. moral., tract. 1, disp. 4, punct., § 9, num. 5, ac Hieronymus Roderig. in Compend., resolut. 65, num. 2, et alii asserunt in celebratione festorum locum habere communicationem privilegiorum, præsertim quoad eos regulares qui habent prægnantissimam communicationem privilegiorum ab Apostolica Sede, tam concessorum quam concedendorum; et hoc maxime verum censeo pro illis regularibus qui obtinuerunt a Sede communicationem aut innovationem privilegiorum post dictum privilegium a Clemente VIII, in supra allata constitutione concessum Minoribus. Pignatelli. tamen tom. X, citat. consult. 1, num. 32 et sequent., pluribus adductis censet tale privilegium non suffragari aliis regularibus virtute communicationis privilegiorum, quod et censet Matthæucci in Officiali Curie, cap. 27, n. 14, et alii.